



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Historia Pelagiana Et Dissertatio De Synodo V.
Œcumenica In Qua Origenis ac Theodori Mopsuesteni
Pelagiani erroris Auctorum justa damnatio exponitur, &
Aquilejense Schisma describitur**

Noris, Enrico

Patavii, 1708

Vita Eminentissimi Auctoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72486)

V I T A

EMINENTISSIMI AUCTORIS.



Historiam Pelagianæ Hæreseos novâ luce donaturus, rem Lectoribus non ingrati- tam me facturum sum arbitratus, si Eminentissimi æquè ac Eruditissimi Au- ctoris Vitam in ipso limine ob oculos ponerem: ut quotquot insigni operi evolvendo animum applicuerint, eò majori loco illud habeant, quò plura eaque prævalida invidiæ machinamenta protrita, magnorum Principum benevolentiam comparatam, ac maximam tum laudis, tum honoris segetem ab eodem Auctore percep- tam conspexerint.

Henricus de Noris, Nomen optimis Theologis longè auditum, sacræ, & profanæ Eruditionis lumen ful- gidissimum, Augustiniani Instituti præclarissimum decus, natus est Veronæ anno 1631. mensis sextilis die 29. Patre Alexandro, viro inter eruditos non infimæ notæ, quippè qui Germanorum Historias accuratissi- mè concinnavit, Matre Catharinâ ex perillustri Man- zanonum Familiâ. Norisiana Domus, cuius originem altius repetere præsertim in exterorum gratiam pluri- mum refert, ex Angliâ, & Hyberniâ pervetusta suæ Nobilitatis ducit insignia: harum siquidem Regionum Proceres, ac Principes Viros Progenitores habuit, quorum alter ad Othomanicum Imperium pro Guilelmo II. Angliæ Rege Orator accessit. Adversâ deinde in- tequente fortunâ, patrio solo relicto, Cyprum navi- gavit, ibique amplissimos nacta fundos brevè inter Optimates ascita, ac per omnium Præfecturarum gra- dus evectâ commissam sibi & arcium, & classis curam prudenter, & strenuè gessit. Insulâ in Othomanicæ potentia ditionem vi armorum redactâ, ne Turcicæ Tyrannidis jugo opprimeretur, Fidemque à Barbaris pessumdari spectaret, Cypro solvit, ac sub Serenissimo Venetorum dominio sese recipiens, Veronæ inter Italiæ Civitates pulcherrimâ, & amantissimâ Urbe iedem locavit. Hanc suæ gentis originem Auctor ipse testatam reliquit in elegantis disticho, ad navim alteram Gentilitii ipsius stemmatis partem alludente.

*Anglia nos genuit, Cyprius possedimus arces;
At Veneto sedet litore nostra Ratis.*

Nobilissimo hoc Proavorum sanguine satus Henricus die 30. Augusti in Paracia SS. Quirici & Julitæ lu- stralibus undis admotus de Hieronymi Joannis nomi- ne est nuncupatus. Ætate jam ad literas aptâ Mel- chiori Mazzoleno erudito Presbytero à Parentibus excolendus traditur; quo Magistro in humanioribus literis itâ profecit, ut omnes ævi sui condicipulos longo post se intervallo reliquerit. Ex Ephebis vix exce- serat, cum emento minorum artium studio ad Arimi- nense Societatis Jesu Collegium sublimioribus faculta- tibus erudiendus perrexit: qua in palestra ea conten- tione Philosophiæ vacavit, ut nulla esset naturalis sci- entia latebra, quam non lustraret, nulla penetralia, quæ non pervaderet, nulla arcana, quæ acutâ mentis indagine non introspiceret. Verùm cum ad altiora capessenda supremo afflante numine dirigeretur, oc- culto planè ejusdem consilio contigit, ut quàm sedulâ sagacitate naturalium rerum investigationi navaret operam, tam maturi perspicacitate Sanctissimi Eccle- siæ Magistri, Patrisque Augustini libros evolveret; ex quorum iteratâ lectione factum est, quòd divinâ operante virtute sese Augustino & discipulum, & Fi- lium devoverit. Rebus ergo mundi nuncio remisso, Eremitico Cœtui S. Augustini profusis lacrymis no- men dedit, Henricus in posterum compellendus.

Facto sui inter Tyrones periculo, Arimino, ubi Augustinianum monachum induerat, Romam Majorum jussu profectus, ibi Theologicum cursum est ag- gressus; simulque in sacrâ, & profanâ Historiam, Chronologiam, ac Geographiam incubuit; nequè verò tam longè inter se distita exercitamenta, quæ vi-

ris diù in literaria palestra certantibus plurimum ne- gotii facebant. ejus animum terruerunt; etenim sin- gulari Dei ope ingenium magnum, & acre, judicium grave & prudens, memoria capax & tenax in eo fue- rat. Statas horas easque duodecim singulis diebus vel legendo, vel mentevolvendo, vel scribendo infumebat. In Theologicis disciplinis defæcatissimam Sancti Patris doctrinam, eam verò præcipuè, quâ summus Ecclesiæ Magister de Pelagianis, & Semipelagianis triumphavit, ex ejusdem libris accuratè perlectis ex- hausit; quæ tam altè ipsius animo infedit, ut sapi- eorum vicem doluerit, qui proprio indulgentes genio novas opiniones, flexitque nixas fundamentis in scho- las invehunt; quique nec pudori ducunt à tutissimis Augustini dogmatibus desistere, nec Religionem ead- em audaciori stylo confingere. Hac itaque inspectâ de re Theologica disputandi licentiâ à Recentioribus Augustino-mastigibus non ita pridem excogitatâ, sta- tim ipsum cogitatio subiit, doctrinam sancti Patris, quam permulti Pontifices decretoriis Epistolis conse- crarunt, plurima Concilia in Canones retulerunt, damnabilibus dictionibus, & effrenâ loquendi præcitate impetitam asserere, ut sanctissimo, ac Doctissimo Pa- renti suum decus diffatis calumniis factum, restum- que servaret.

Interim annos natus septem supra viginti, quorum unum, & alterum in edocendis Philosophiam Syn- cellitis transegerat, Theologicæ scholæ præficitur pri- mum Pisauri, deinde Perusiæ. Hoc munere ad quin- quennium summa cum laude, atque Augustinianæ doctrinæ propagatione perfunctus, Romam accitit, Magistrali laurea pro exantlatis laboribus decorandus. Inde Patavium, amplissimum scientiarum Emporium digressus, acceptam tradendæ Theologiæ provinciam ibidem jubetur persequi: quo tempore Pelagianæ Hi- storix, Dissertationi de Synodo V. ac Vindictis Au- gustinianis, quæ jam pridem accuratâ manu premebat, colophonem imposuit. Decretum ipsi fuerat instar Apendii sibi ipsi canere, elaboratumque opus inter silentii claustra domi servare: verùm ut illud publi- ci juris faceret ab amicis sapius interpellatus, etsi ip- sorum vota iterùm ac tertio in irritum cadere pati- fisset, tandem eorundem sententiæ precibus diu fati- gatus accessit. Ast necesse fuit literatorum expecta- tionem dilatâ præclari operis editione torqueri; dum Censores illi, quibus lustrandi voluminis fuit cura commissa, nescio quibus scrupulis acti albos calculos eidem adiacere recusarunt. Ut ut sit doctissimis Ur- bis Censoribus Liber ab Auctore sistitur, eorundem judicio probandus, quò & ipse continuò se contulit in Romanum Augustiniani Cœnobii Gymnasiarcham à supremo Ordinis Præsule inauguratus. Diu eruditio- rum Virorum & oculos, & mentem Liber occupa- vit, è quorum tandem manibus nullâ Theologicâ notâ perstrictus, omnique censurâ immunis evasit; tantamque existimationem apud Eminentissimos Pa- tres suo Auctori conciliavit, ut ipsorum precibus Cle- mens X. P. M. Henricum inter Sancti Officii Quali- ficatores adlegerit. Novo igitur insignitus honore, ac prægrandi sui Nominis famâ relicta Patavium rediit, opus supremæ Inquisitionis judicio expensum, & ap- probatum in lucem emisit.

Vix è prælo Liber dimissus Eruditorum studia fue- rat auspiciatus, cum literatorum vulgus varias in par- tes distrahit; plures enim, qui veritati litabant, nul- lisque invidiæ stimulis agitabantur, Opus summis lau- dibus efferre, reconditâ Eruditione refertum suspicere, ac quolibet encomio majus affirmare: Cateri verò, qui delatas egregio volumini laudes in immen- sam, ac cum omni posteritate adæquandam nominis celebritatem exercere verebantur, idem ipsum mul- tis erroribus scaterere, doctrinas proscripitas recoquere.

Vita Eminentissimi Auctoris.

ac tantum non omnium hæreseon colluviam compendiosè præferre. Neque his tantum limitibus stetit prava obrectatorum procacitas; siquidem quò sinistra de eodem opinio minores etiam gentes pervaderet, quamplures libellos furrivis typis excusos publicitè destinarent; quibus tamen diutius impune vagari non licuit, etenim simulac fuerunt ad primam lucem oborti, exemplo nigro thetæ supremæ Inquisitionis decreto fuerunt signati. Quinam autem fuerint hujusmodi Viri aliorum & nomine. & indumento magno in numero personati, probè novit literaria Respublica: mihi Religio est propria nomina illis reddere, propriisque vestibus illos induere. Porro malè natos criminorum conatus honorifica Auctoris fama longè lateque pervagata devicit. Enimverò Regalis Celsitudinis Serenissimi Cosmi III. Magni Etruriæ Ducis, Optimi Pique Principis, literatorum munificentissimi Mecænatiss, audito tanti Viri nomine, eundem in sacrum suarum rerum Moderatorem alcivit, simulque in Pisana Academia Ecclesiasticæ Historiæ Professore grandi congiario designavit. Exinde Celsissimi Principis in illum amor effusus: Ipsi liquidem ad Regiam Celsitudinem semper aditus patens: Ipsi Filii Joannis Gastonis erudiendi cura demandata: Ipsi quidquid in Cimmeliis, & Musæo Mediceo asservatur pretiosæ gazæ antiquitatem reparantis, reseratum: Ipsi denique omnia credita, quæ tam profundæ doctrinæ, ac tam raræ eruditionis Virum decebant. Gratulabatur Etruria, & præsertim Florentia, Urbs hujus Provinciæ præcipua, cunctique bonarum artium cultores, quos inter Antonius Magliabecus Vir immensâ propè literaturâ celebris, hoc sibi ad maximam felicitatem contigisse arbitrati, quòd Norisius eorundem laribus accessisset. Verum omnium gratulationes evicit Pisana Academia duplicem honorem munificæ Principis liberalitate consecuta; quippè quæ Ecclesiasticam Historiam in suum Athenæum vidit inductam, & Virum ævi sui Nulli comparandum huic muneri obeundo selectum suscepit.

Agebatur annus alter, ex quo Historia Pelagiana in lucem prodierat, cum Liber Marii Mercatoris ab Joanne Garnerio à Societate Jesu illustratus Auctori reddidit; quem cum altius meditaretur, in notas offendit ad epistolas XC. & XCII. inter Augustinianas, quæ proprias Sedes Episcopis Synodorum Carthaginensibus, & Milevitana ad Innocentium Papam scribentibus eruditus Jesuita adjudicabat: opus, ut ipse ait Garnerius, quod hætenus tentaverat nemo. Olim ipsimet Norisio res Pelagianas persequenti id consilii inceserat, ut arduam eandem partem aggredere; re autem maturius pensatâ desistit ab incerto, cum ob materiæ obscuritatem nihil certi posse deprehendi, nec illorum Præsulum Urbes, quarum sacris id temporis præerant, nisi divinando designari posse conspiceret. Itaque Antonio Magliabeco, qui ea de re illius judicium urgebat, morem gerens, animadversiones in Garnerii notas emisit, quibus pari soliditate, ac eruditione ostendit, quantum Jesuita per inania expatiatus à rectâ aberraverit. Vix manum amoveret à condendâ censurâ, cum eandem tabulæ admovere cogitur, ut Apologetica pro Pelagianâ Historiâ produceret. Scripserat vir Doctissimus, S. Vincentium Lirinensem Semipelagiano errori nondam ab Ecclesiâ hæresibus adnumerato adhæsisse; idque ex capite 37. Commonitorii, quod adversus profanas vocum omnium hæreticorum novitates Lirinensis Asceta sub nomine Peregrini vulgaverat, invicto testimonio comprobari. Ad hæc discesserat à Cardinalis Baronii sententiâ, qui in Epigraphe epistolæ Albino, Piniano, Melania ab Augustino inscriptæ, Albina pro Albino restituendum edixerat: quam quidem correctionem etsi suo satis Auctore munitam, Norisius improbandam censuit; cum probè nosset, nomina tum masculinæ, tum neutrius terminationis etiam feminis à probatis scriptoribus accommodari solita. Doluit Vincentii vicem Franciscus Macedo ex minorum instituto, quos Observantes vocant, in Patavino Lyceæ ethica Philosophiæ Professor; ac Lirinensis Sanctitatem in invidiam trahi suspicatus, si semipelagianâ fulgine obtruderetur asperâ; bonæ causæ, ut

ipse autumabat, advectionem commodaturus profixam Apologiam eo consilio exaravit, ut Vincentium à Massiliensibus extraheret; in qua à proposito argumento digrediens Norisium grammatices imperitiæ reum traducit, quòd Albino, non autem Albina in Augustiniana epistola inscriptione legendum contenderet. Utrumque verò infeliciter: hoc enim postremum Norisius editâ ipsi Patri Macedo adventoriæ penitus profligavit; quæque primo loco adornabatur accusatio, jamdiu prorsus everta corruisset, si quam paraverat responsonem, impatienti eruditorum voto expectitam Purpuratis Patribus in lucem prodire placuisset. Jussu ergo intrâ sparium adornatam defensionem occludere, ne de Orbe literario benemereri desineret, paucis ab Adventoriâ elapsis mensibus duplicem dissertationem emisit de duobus nummis Diocletiani, & Licinii, cum Auctario Chronologico de Votis Decennialibus Imperatorum, ac Cæsarum: opus ex Cimmeliis Serenissimi, & Reverendissimi Principis Leopoldi Cardinalis Medicei mirâ eruditione refertum, historiæque consultorum, & judicio, & utilitate comprobatum.

Per hæc tempora Norisii Criminatores pejorem, eriminationem molientes Historiam Pelagianam ad Romanæ Inquisitionis tribunal detulerunt, eandem suspectæ Fidei, plurimisque erroribus ab Ecclesiâ proscriptis resperiam causantes. Cujus injuriæ nota ut latius longiusque manaret, libellum P. Joannis à Guidicciolo alicitio nomine Eminentissimis Patribus, qui Fidei facta testæ servandæ præfident, nuncupatum in vulgus dedere, præfixo titulo: Parallelum propositionum Baii, & Henrici Noris; quò Norisium Bajani erroribus concinuisse probarent. Audax profectò facinus, nec lustrali tantum aquâ luendum; siquidem, ut Scriptorem Orthodoxum reum obtenderent, invidiosis nominibus eundem onerare non extimuerunt, quibus ipsius famam toto jam Orbe pererebescentem tum apud superstitēs, tum apud posteros vel imminerent, vel extinguerent. Verum iniquo impostori res non cadit ex sententiâ; Henricus enim collectis ex editis à Macedo voluminibus hinc inde responsonibus, singula erroris objecta, quibus impetebatur, meridiana luce clarior infregit, dum eadem se cum iis scripsisse monstravit, quæ senex Annosus Bajani pulveris scrupulosus excusor in literas miserat. Invidum Norisii æmulum propriis armis oppressum non nemo crederet, qui fidem rumori haud temerè suborto præstaret, exhibenti, Macedum sub cortice F. Joannis à Guidicciolo eam ob rem desituisse, ut impune posset Catholicus in Catholicum, Amicum in Amicum grassari; neque violatâ Religionis, ac lætæ amicitiaæ penâ reus postularetur. Occulto igitur accusatori sub alieno nomine injuriam intentanti sub aliena quoque casside Annibalis nempe Riccii Veneti Augustiniani Norisius respondit; quod nemo jure mirari possit, cui vel obiter quæ rem tanti momenti circumstant, rimari contigerit.

Haud tamen pervicax adversariorum ingenium hæc responsonibus cessit; quinimò novum ipsiusque pessimum criminandi genus adorti, Norisium, cujus operâ optimè norant propositionum Parallelum exhibilatum, in scenam inducere, qui Macedi responsones sub Riccii nomine ad Bajanam nubeculam profligandam absè collectas, tanquam minimè suæ doctrinæ coherentes, publicâ palinodiâ temperaret. Hac arte intentatam invidiam confirmatum iri sperantes, retractationem Henrici nomini assictam italico idiomate esidere cum hac epigraphe: *Censura del P. Enrico Noris sopra le risposse raccolte dal P. Annibale Riccio: maximi vel ob id criminis rei, quòd gravissimum Theologum, non Eminentissimis Patribus, apud quos fuerat delatus, non erudito literatorum cætui, sed ultimæ plebeculæ, rudique popello tantum legendi gnato suorum erratorum penitentem sisterent. Fictam palinodiam perpetuis mendaciorum strophis consarcinatam vitium est Norisio furdâ aure non præterire; imò sua interesse duxit paginas illas ad umbilicum usque mendaces evincere, ut omnem suspicionem à sanâ doctrinâ, quam semper tradiderat, detectis dolis averteret. Itaque publico monumento commen-*

Vita Eminentissimi Auctoris.

titiae retractationi fidem abrogaturus, brevem quidem, sed solidam confutationem subcisivis horis confecit, cui titulum dedit: *Confutatio Palinodiae sub nomine Henrici Noris publicata à Annibale Riccio Pbilaleti S.*

Jamverò doloso obtestantium molimine deturbato, ac calumniae notae in fraudis architectos devoluta, quis cordatae mentis fore non putasset, ut audaces vitilitatores vel iniqui facti poeniteret, vel iidem perpetuo se silentio damnarent? Ast tantum abest, ut praefractae impudentiae frenum injecerint, quòd fractas vires rursus instaurantes, advocatis in speciem ab accusatorum numero suppetitis, rigidioris instituti Ascetam taciturnitati unice addictum, novam criminationem instruentem, sunt eminenti. Igitur è cella nescio quem Humbertum Carthusiensem educunt, qui Risbrochii ex Sarmatia, Hauseni ex Germania, Guidiccioli ex Italia (unus fortasse homo Prothei imaginem ludens) socius factus, germanitates Cornelii Janienii, & Henrici Noris exhibeat: quo scripto sicut eadem uterque sensisse, ostendebatur, sic eadem utrumque censura maneret. Quòd verò à suis ausibus imposturae notam arcerent, fidemque apud imperitam plebem suis mendaciis conciliarent, Jesu Christo supremo Judici accusationis libellum nuncupatum volvere, hunc planè titulum praefigentes: D.N.J.C. Eumque, cujus judicium vel ipsis innocentibus est formidandum, in calce nuncupatoriae epistolae his verbis sollicitant: *Surge, Domine, iudica causam tuam.* Vah procacem temeritatem, qua omni timore deposito æquissimum veritatis Judicem pro factis criminibus audent interpellare! Hos tamen refractariae mentis conatus, quibus et quinque famosas propositiones ferebatur consensisse Norisius, eidem arte disjecit, qua paratos in propositionum Parallelo cuniculos vacuas in auras difflavit. Excerptis enim ex Macedi libris sententiis singulas singulis germanitatibus opposuit, & alieno suffragio, quod boni senis doctrina in antecessum quoque paraverat, commentitii Janienissimi nexos absterfit. Plerisque emuncta naris Germanitatum inspectoribus indubia sententia stetit, eisdem P. Macedi fuisse futuram, quippe qui probè scirent, Macedum & Norisium adversis invicem scriptis praelia literariae conferuisse: mihi verò non vacat hoc eruditorum placitum ed incidem vocare, quem delectat literariae Reipublicae iudicio plurimum deferre. Ingeniosa, ac suo pondere constans elucubratio, qua recidivus confarcinatoris ausus omnino eliminatus corrui, prodiit inscriptam habens epigraphen: *Responsa P. Francisci Macedo adversus gerras germanas germanitatum Cornelii Janienii, & Henrici Noris à P. Annibale Riccio collecta: cujus umbilico legendam se offert Confutatio Pseud-epistolae dolosae per adversarios Norisio affictae, ut eundem de Risbrochiani libri proscriptione, quo tanquam plurimarum hereseon rector fugillabatur, juveniliter exultantem ludibrio traderent.*

Invalescere jam Norisiani nominis fama, qua his concertationibus longius propagata è devenerat, ut Christina Svecorum Augusta Regina Henricum licet absentem extrà dubiam suffragiorum aleam Regiis Academicis accensuerit. Interea pessima censorum capita ad tempus conticuere, vel quòd iniquae causae ipsis argumenta deessent, vel quòd prorsus eversti, tam citò in novas criminationes non possent assurgere. Itaque cum primùm Norisio ab osoribus feriari licuit, actuum severiores Musas repetiit, quòd nugis posthabitis, solidiori aliquo monumento bene de orbe literario mereri pergeret. Adjecit igitur animum, ut obscuriora antiquitatis arcana Viris eruditissimis vel penitus ignorata, vel tenuiter cognita optimo in lumine collocaret: cujus consilii capitis prosperè contigit, dum edita profanae eruditionis opera ipsius nomen ad extimas mundi partes protulere. Mirabantur rerum antiquarum oculati investigatores, tam vastam Norisii mentem singulari ac propè immensa eruditione refertam è ruderibus erutis, saxis insculptis, nummis excusis, monumentis secretioribus res à nostris temporibus adeò disitas, quibus longa aetas tenebras offuderat, luce donare; Consularia Collegia perperam in vulgatis fastis descripta corrigere, supple, illustrare; plures Cyclos Paschales à suis annis avulsos in propria sede locare, inextricabiles denique Chronologiae nexus, ac ignoratas Epochas

multarum Urbium, quarum sola supersunt nomina, solvere, dirimere, enucleare. Harum verò elucubrationum, quas profusus eruditorum plausus excepit, juvat hic indicem texere; sunt autem

Cenotaphia Pisanae Caii, & Lucii Caesarum dissertationibus illustrata. Coloniae obsequentis Juliae Pisanae origo; Vetus magistratus, & Sacerdotum Collegia: Caesaris utriusque vita, gesta, & annus eorundem inferiae exponuntur, ac aurea utriusque letinitas demonstratur. Parergon de annis regni Herodis: de Praesidibus Syriae, ac Romanis in Asia Provinciis. Venetiis 1681.

Epistola Consularis, in qua Collegia LXX. Constitutum ab anno Christianae Epochae XXXIX. imperii Tiberii Augusti decimo quinto, usque ad annum CCXXXIX. imperii Alexandri Severi octavum, in vulgatis Fastis haecenus perperam descripta corriguntur, suppletur, illustrantur. Bononiae 1683.

Annus & Epochae Syromacedonum in vetustis Urbium Syriae nummis praesertim Madiceis exposita: Aditis Fastis consularibus Anonymi omnium optimis. Accesserunt Dissertationes de Paschali latiorum cyclo annorum LXXXIV. ac Ravennatum, annorum XCV. Item Epistola ad Eruditissimum, & clarissimum Virum P. Antonium Pagium de nummo Herodis Antipae. Florentiae 1691.

His addendum opus mole quidem parvum, pretio verò maximum, quod Norisius ad annum baptismi mortisque Augustini trabali clavo figendum concinnavit incripto titulo: *Somnia quinquaginta Fr. Macedo in itinero Sancti Augustini post baptismum Mediolano Romam excutiebat levi brachio P. Fulgentius Fosleus Augustinianus sacrae Theologiae Professor. Lugduni Batavorum 1681.*

Accensenda his quoque foret de Donatistarum Schismate Norisio elucubrata Historia, nisi eidem omnibus licet numeris absoluta, latentem ab causam praelo voluisset interdictum. Quod quidem consilium tantum ponderis est apud institutos ab eodem haeredes, ut nulla sibi ratione suaderi sinant, ut eandem vulgatam velint; male fortasse ominantes illi operi, si diem aspiceret, cui Auctor sciens prudens diem negavit. Verum etsi Henricus dum viveret laudabili fortè sententia confectum opus maluit occultum, haud aequè laudabili consilio superstitis eodem loci illud haberent; plura enim viventi poterant esse argumento, ne proderet; quae tanti non sunt, ut haeredibus sint impedimento ne prodant. Neque verò est quod rationabiliter timeatur, quin Historia à Viro tantae eruditionis concinnata Auctoris sui nomen ac famam esset impleta; ipsius siquidem doctrina omnium plausu consecrata altiori loco consistit, quam quo huic suspicioni queat ansam praebere; & si quando invidia recidivo ausu in posthumum factum assurgeret, tot propugnatores Norisius haberet, quot sui nominis ac doctrinae cultores in Augustiniana Republica, ac orbe literario reliquit.

Dum Antiquitati his monumentis illustrandae assiduam operam conferret Henricus, Innocentius XI. P. M. eundem Romam accivit Vaticanam Bibliothecam Custodibus adnumerandum. At ille effusam Supremi Antistitis Clementiam ratus minimè suo literario otio fovendo conducere, ac collatum munus obiret, pro quo tamen maximas se debere gratias agebat, omni ope contendit. Res ejusdem votis bene cessit, Principe totius Orbis Praesule quicquid excusationi ostendebatur benignè excipiente. Verum optata pace, gratoque secessu frui ipsi diutius non datum: Vix enim Innocentius XII. Catholicæ Ecclesiae Clavam suscepit, cum Norisio ad Urbem accedere iussu Vaticanæ ejusdem Bibliothecae destinavit Praefecturam. Ubi Pontificis imperium Henrico innotuit, illico rationem iniit, qua se à tam munifica liberalitate subduceret. Ad Regiam itaque Cosmi Tertii Cellitudinem ipsius praesidium imploraturus accessit, ac cum eo suppliciter egit, ut à Pontifice, ne Romam peteret, impetraret: qua quidem spe se statim cecidisse sensit, ac sui Mecanatis animum sibi adversantem cognovit. Imò Magnus idem Dux auctor illi fuit, ut nullà interposita morà executioni mandaret, quod ipsius ope declinare decreverat; nam enixè petenti ut sua auctoritate decretum munus averteret, ex inopinato

Vita Eminentissimi Auctoris.

pinatò respondit, è re sua esse, ac in ipsius honorem maxime cedere, Supremi Præfulis iusta facessere. Pergeret igitur Romam, quò SS. Patris imperium, Purpurati Senatùs expectatio, literatorum ibi degentium desiderium, Vaticanæ Bibliothecæ Præfectura, meliora denique fata vocarent: Se tandem imparè esse qui suis meritis ea præmia rependeret, quæ Roma posset elargiri si vellet, vellet autem si de facie omnigenam ipsius eruditionem agnosceret. Hæsit hæcæ eifatis Norisius; quoniam verò solemne duxerat Magni Ducis consilia ceu oracula excipere, collectâ literariâ supellectili iter arripuit: cui munificentissimæ Celsitudinis expensis, & lecticâ Urbem adventanti supremus totius Augustinianæ Familiæ Moderator, pluresque tum doctriâ, tum officio spectabiles Patres obviam processere, jamdiù optatum ipsius illuc adventum gratulaturi. Cùm primùm autem fractas ex itinere vires instauraret licuit, SS. Patri Innocentio XII. in obsequium se pronus effudit, eique pro collatis in se beneficiis grati animi nullo unquam ævo oblietanda monumenta testatus. Mirum, quo gaudio Summus Pontifex Norisium & vidit præsentem, & inaudivit disertè loquentem; cuius vel absentis doctrina Innocentii animum demeruerat! Ea propter nova in Henricum amoris argumenta daturus Antistes Maximus, & Sacrarum Apostolice Præfecturam, quæ per obitum Iosephi Eulani ex Augustiniana familia primùm Helenopolitani, mox Porphiriensis Episcopi viduata alium ejusdem instituti hominem postulabat; & Pontificium præsidium obtulit contra eos, qui clam palam in eundem auderent insurgere. Tam splendida profusæ liberalitatis testimonia devoto supercilio admirans Norisius, ipsorum alterum, quo sub tanti præsidii umbra optimè quieti suæ in posterum consultum iri putabat, venerandus excepit; primùm verò, quo curas expetitis studiis ad veritas sibi aggerari sentiebat, ut in alterum devolveretur, supplex oravit. De his, aliisque permultis habito sermone Summus Pontifex missum fecit Henricum, quem inde digressum tanta auri summa subsecuta est, quæ curru, Equisque parandis, quibus ad Vaticanam Bibliothecam ab Augustimano Cænobio longè distantem veheretur, sufficeret. Hoc primùm Innocentii donum Norisio Romæ collatum, cui semper majora supremus Pastor adjecit.

Interea Norisii nomen adeò supra vulgus emerferat, ut omnium ore totâ passim Urbe celebraretur. Hinc Purpuratorum, aliorumque dignitate præstantium estus amor, literatorum ibi degentium vehemens studium, Eruditorum ex toto penè orbe impatiens incedi cum ipso fœderis desiderium, communis denique omnium plausus & admiratio siquando ex Pontificis mandato Congregationibus interesse contigerat, in eundem erupit. Fervebant tunc temporis Sedem inter Apostolicam, & præcipuum Catholicæ Orbis Principem acerrimæ controversiæ, suâ satis famâ, atque editis voluminibus celebres. Nemo, qui etiam à limine eandem attigerit, ignorat quandâ laboratum, ut pulsus dissidiis pax exul rediret. Assulserat boni exitus non mediocri spes Alexandro VIII. Romanam Cathedram insidente, qui Prædecessoris vestigia premeis, suæ industriæ nervos eò contulerat, ut & Ecclesiæ sua jura servaret, & Magni Principis animum quâ rogando, quâ benemerendo hæcteret. At Pontificem pro pace componendâ omnia conantem primò spes concepta fessellit, deindè mors è vivis eripuit. Itaque Innocentius XII. Petri Sedem indeptus sedulam curam intendit, quâ jamdiu enate concertationi ultimus dies imponeretur; quod felici omine contigit, Norisio pacis conficiendâ viam aperiente. Totius rei summa illò devenerat, ut in literis ad Apostolicam auctoritatem, & Ecclesiarum reparanda jura Innocentio exhibitis, verba minùs appositè inserta contentionem facerent, ac dirimendis dissidiis obicem ponerent: qua de re à Pontifice consultus Henricus, ab Ecclesiastica, & recondita eruditione mutatus exempli, quid ea in causa esset agendum, edocuit. Unum igitur, & alterum verbum, quod rei summam tangebatur, duxit immutandum, cætera verò admittenda: hæc ratione ratus & Supremi Antistitis auctoritatem, & jura Ecclesiarum in tuto posita. Permulta alia præferebat epistola, quæ Innocentio minimè probaban-

tur; verùm Norisio Pontifex auscultans, si ad illius crism eadem exigeretur, satis sibi factum edixit: quod continuò præstitum, ac jam tandem diuturnæ nimis concertationi finis impositus, pro quo Potentissimi Principis nomine gratiæ ipsimet Norisio a&æ, cuius operâ Maximi Præfulis animum à præconcepta opinione divulvum, & arduam contentionem noverat profugitatum.

Hucusque induciæ ab Adversariis Henrico concessæ. Novus enim honor eidem delatus, ac vehemens in ipsum Pontificis amor adeò isdem stomachum movit, ut qua posset arte eundem de gradu deicere, consilium inierint. Quæ igitur familiaria esse ceperant, molimina repetentes, de consensu in prædamnatas quinque famosas propositiones, sparsis rursus in vulgus libellis, Norisii libros infimularunt. Hæc præter opinionem recens conflata calumnia eò Romano Præfuli gravior accidit, quò Virum in sinu receptum suo, cuius sana doctrina de tot jam periculis triumphaverat, novâ hæresis suspiciene audebat aspergere. Ut autem contumax æmulorum perfidia non tam auctoritate, quàm probati iudicii pondere oppressa labasceret, Doctissimos viros, eosque ab omni partium studio semotos Pontifex voluit destinatos, qui in Norisianum volumen altius inquirerent; ipsiusque dogmata ad Catholicæ veritatis trutinam expenderent. Injuncto munere haud prope functi delecti ad id operis Viri, circa commissum volumen de spongia pronunciarunt; se nihil in iplo offendisse testati, quod objectis criminibus esset affine, sed omnia ad Orthodoxæ Fidei amussim prorsus exacta. Tametsi autem de Norisii Pelagiana Historia suffragia, ne in publicam lucem effunderent interposito Sacramento Censores sue rint vetiti; quod tamen fuerit eorumdem de ejusdem doctrina iudicium ex illo deprehendere licuit, quòd Henricus post sui Operis peractum examen supremæ Inquisitionis Consultoribus ab ipsomet Innocentio fuit adscriptus. Jam verò quisque sibi suaderi facile permisisset, Norisii librum, qui tanto cum gloria proventus creata pericula semper evaserat, altiori fastigio tandem constitutum, quàm quò ulla deinceps adversantium conamina potuissent peringere. Verùm auid obtrætorum libido minimè despondit animum, quominus eundem ad tam sublime honoris culmen evectum novis admotis machinis laceferent; imò ne ab ipsis quidem sacratoribus penetrabilibus atroci planè scelere temperarent: etenim quibusdam falsæ religionis stimulis acti, re autem vera malesano criminandi cacoethæ perciti plures libellos Scrupulorum titulum præferentes, iidem Censoribus specie tenus reverentiæ inscriptos publicitè dederunt, quæis duplicem in uno ausu triumphum reportarent; dum Norisii librum recantatis toties erroribus respersum, ipsosque Censores iniquo jure eidem albos calculos ad junxisse, conabantur evincere. Indoluit vix expiabile scelus Anonymi (hoc enim Auctore impressi libelli prodierant) Norisius; ac reciprocari sentiens calumniantium fabulam, quam post tot superata discrimina peractam putabat, Innocentium Pontificem adiit, conquestus de inverecundo vitiligatorum flagitio, ac de violato in Catholicæ Fidei Quæsitores oblectans: Cui Romanus Præful adjecit, ne sibi ab æmulorum invidia quidquam timeret, quam brevi penitus interituram speraret; vulgatis tamen scrupulis solidâ disputatione obviam iret, ut iustam causam non tam præfenti præsidio, quàm validis rationibus invictam probaret. Hæc Innocentii verbis erectus Norisius quinque doctissimas elucubravit dissertationes, quarum primâ controversiæ propositionis de Uno ex Trinitate Carne pascio ortum, progressum in claram lucem digessit; reliquis autem scrupulorum spinas, quibus Anonymus se pungi lamentabatur, extirpavit, evulsit, eradicavit. Prodiit opus Romæ anno 1695. cum titulo: *Historica Dissertatio de Uno ex Trinitate Carne pascio: Adversus Historiam Pelagianam ab objectis ab Anonymo scrupulis vindicatis*. Dum liber prælo premeretur, ac ultimas impressurum curas exerceret, Summus Pontifex, ut datam Norisio Fidem solveret, qua criminantium ora se penitus obstruendum sponderat, Eundem insignis doctrinæ merito tota Urbe, ac Christiano Orbe applaudente ad Cardinalitiam Purpuram assumpsit pridie Idus Decem-

Vita Eminentissimi Auctoris.

cenbris anni eiusdem 1695. Et fanè prægrandi hoc honore auctus Henricus garrulorum catervas etsi non habuit sincero plausu gratulantes, externa saltè veneratione habuit obsequentes: quippe qui consociati illi tenebriores ne hifcere quidè in posterum contrà eundem sunt ausi. Ex quo intelligere datur, non veritatis studio, sed iniquo virum Orthodoxum deprimendi desiderio fuisse ductos, dum adversarii in toto fœderebellum sociale Norisio intentabant; quod tamen Henricus & fortiter eruditione suscepit, & strenuè doctrinà est profecutus, & adepta dignitate gloriose confecit.

Vix S. R. E. Cardinalis fuit à Pontifice renunciatus, cum Eminentissimum apicem ab humilitatis gradibus exorsus ascendere, coram supremo Eremitici Ordinis Moderatore in illius occursum properante in genua se demisse profudit, ut ipsius facultate Purpuratorum Senatui nomen dare permitteretur. Sacris ergo Vaticanis Infulis exornatus Ecclesiastici Principis Majestatem ità cum facili comitate temperavit, ut testimonio Eminentissimi Palatii de Alteris, non assumptus, sed natus ad Purpuram videretur. A muneribus, usque permagnis Principum nomine sibi oblati manum abstinuit, quibusdam tantum Equis in præsentis discriminis subsidium acceptis, quos Serenissimus & Reverendissimus Princeps Franciscus Maria Cardinalis Medicæus, ac Eminentissimus Petrus Otthobonus veteris amoris ergo dono miserant. Cum primum autem sacro murice se indutum conspexit nulli labori sibi parendum putavit, quem bene noverat cum ea dignitate junctum, quæ in auxilium sollicitudinis in totam Ecclesiam ab Summo Antistite advocari consueverat. Huic ergo muneri graviores curas impendens, diutinis plurium Congregationum, earum verò præsertim, quas S. Officii, ac Statûs compellant, negotiis indefessa sedulitate incubabat: suamque cum consilii, tum doctrinæ operam conferebat, ut qua pollet ratione secularem Romani Pontificis Potestatem fartam servaret, & Fidei Catholicæ decori consuleret. Tot curis implicatus querebatur interdum & voce & scripto apud amicos, de tot laboribus, quos divexa ætas ferendo non erat, ac quietum Cœnobii secessum sapiens dolebat amissum, eo præcipuè tempore, quo propè Septuagenaria Senectus studiis lassata perpetuis otium aliquod, & solatium postulabat. His tamen minime territus, etsi vires quotidie minui persentiret, nunquam ab assidua sollicitudine, quæ in commune bonum cederet, aut mentem, aut manum amovit: imò lucri loco deputabat eadem viâ Ecclesiæ utilitati occurrere, quâ ad ultimum diem properaret; ac proinde aliam sibi quietem, aliud otium dies noctesque imperare nesciebat, quàm mutationem laboris. Hanc ipsius in rem Catholicam vigilantiam Roma stupens agnovit, ac tam vegetum animum in fatiscente corpore admirata, nova illi onera imposuit, novos honores destinavit. Itaque Clericorum Regularium minorum apud Apostolicam Sedem fuit Protector electus, quibus nihil non egit; ut in adversis esset præsidio, in prosperis augmento, in omnibus securitati. Porro Hieronymo Cardinali Casanatta Apostolico Bibliothecario, quo Norisius etiam in minoribus familiarissimè utebatur, è vivis exempto, Summus Pontifex eandem Provinciam Henrico detulit, quo quidquid reconditum servat ejusdem Bibliothecæ rara supellex, nemo scrupulosius rimatus altius disquisierat, diligentius illustraverat, feliciter mente perceperat. Quibus omnibus, effatà licet ætate, egregiam operam navans, doctrinà & eruditione ad miraculum præditus, prudentiâ, & dexteritate in agendis ad invidiam insignis, munificè liberalitate ad prodigium clarus, omnium votis, Innocentio ad superos evocato, Pontifex dicebatur;

quæ tamen Deus arcano Sapientiæ suæ consilio rata non habuit, Clemente XI. feliciter Regnante in demortui Innocentii locum suffecit.

Tertius supra septuagesimum annum eidem decurrebat, cum ventosâ hydropæ laborare cepit: cui dispellendæ etsi omnia fuerint tentata remedia, vis tamen morbi periculosius in dies ingravescerebat. Plenam doloribus infirmitatem ad decem menses ea animi moderatione sustinuit, ut vultu ad serenitatem composito, corde ad graviora quæque parato, nullum unquam illi verbum exciderit, quod Heroicam Catholici Viri constantiam non redoleret. Illud verò inter omnia admiratione maximè dignum, quod in annosâ Senectute, adversâ aded valetudine afflictus, nunquam adduci potuit, ut mentem à literis amoveret: Sanctissimi Patris Augustini vestigia secutus, quæ nullum scribendi finem fecit, nisi quando vitâ destitutus scribendi vires amisit. Idcirco sententiam in re magni momenti rogatus à Pontifice, morti licet proximus, haud tamen se temperavit, quò minus doctissimam adornaret responcionem: quâ inspectâ, supremus Antistes non mirari non potuit portentosam in Ecclesiastico Principe vitæ prodigentiam: dum Norisius ne præsens quidè vitæ discrimen expavesceret, ut Orthodoxæ Religioni ad extremum usque succurreret. Communi jam adventante necessitate, ultimo agoni obviam ibat & de re domesticâ prudenti munificentia disponendo, & auxilii suæ naturæ victricis opem implorando: quo quidè suavius impellente, casti in Deum amoris, quem tum verbo tum scripto ad veniam quoquo modo obtinendam necessarium traderat, actus ingeminabat, castoque eodem amore obstetricante ad æternam vitam properebat. Ætate ergo gravis, meritis verò supra ætatem insignis ultimum diem clausit Eminentissimus Fr. Henricus de Noris S. R. E. Cardinalis anno Christianæ Epochæ M. DCCIV. Septimo Calendas Martii, hora 15. ætatis suæ Septuagesimo tertio, mensibus quinque, diebus viginti quinque. Ejus morti omnium lacrymis est parentatum, quia omnibus aliquid ejus morte præreptum. In illo enim amisit Eremus Augustiniana maximum decus, Roma præcipuum ornamentum, Ecclesiæ præstantiorem Agonothetam, literariorum orbis summum oraculum. Nesciret eruditorum Natio de ejusdem desiderio solamen admittere, nisi superstitem in tot voluminibus illum haberet; ac levaminis plurimum capit, dum ipsius nomen ad memoriam omnium gentium sempiternam illdem cernit propagatum, tot victoriis onustum, quot hostibus impetum, tot laureis decorandum, quot Augustino triumphos erexit. Multum illi debent Theologi, quia Augustinum Theologorum Ducem strenuè vindicavit; pluris Historici, quia plura iis abscondita optimè luce donavit; plurimum Chronologi, quia facem, quam in Consularibus Fastis, aliisque obscuris sequerentur, exhibuit. Vaticana Purpura nunquam majori jure superbivit, quàm cum Norisium induit; raro enim miraculo Majestatem sine supercilio, doctrinam sine fastu, prudentiam sine calliditate in ipso sibi sociatam vidit. Roma gloriæ verticem attigisse rata, cum Henricum suo murice aspexit indutum, nec altius ingemuit, quàm cum nimis præcoçifato eundem sibi sensit ereptum, nec rationabilius dolorem temperavit, quàm cum ipsi præstitit monumentum. Etenim Norisium obeuntem Roma excepit, quia ipsâ sola poterat par sepulchrum præstare: Augustinus verò tumulum, quo condereur excitavit, quia habitu, moribus, Sapientiâ Augustino simillimus, solam ipsius Ædem par poterat habere Capitolium. Purpurato ergo Principi magni funeris pompâ, majori Romani populi frequentia, maximis omnium lacrymis justa sunt perfoluta; cujus memoriam tandiu perennaturam quamdiu litera perennabunt, Augustiniani Patres hoc Epitaphio mærentes consecrarunt.

**

FRATRI

FRATRI HENRICO NORIS VERONENSI
ORDINIS AC TIT. S. AUGUSTINI PRESBYTERO CARDINALI
S. R. E. BIBLIOTHECARIO

AUGUSTINIANA EREMITARUM FAMILIA THEOLOGO, CHRONOLOGO, HISTORICO

B. M. P.

HENRICO MONUMENTUM INGENS SESE EXPLICAT ORBIS
PHÆNICUM AD LITTUS LITTORE AB HESPERIÆ.
INSCRIBUNT TUMULO QUIDQUID DUXERE PERENNI
ÆRE, ARGENTO, AURO SÆCULA, ET HISTORIÆ.
NORSIO MINOR EST TITULUS, TU GRANDIOR ESSE,
AUGUSTINE, POTES PAR TUMULO TITULUS.

OBIT VII. KAL. MARTII
ANNO ÆRÆ CHRISTI M. DCCIV.
ÆTATIS LXXIII. EX A. D. IV. KAL. SEPTEMBRIS.

